

inquit Theodoretus. Similiter Chaldaeus aliam addit similitudinem umbræ: *Antequam*, inquit, *prodeat in vos edictum domini judicii, et similes sitis glumæ quam perlat ventus, et umbræ quo transit a conspectu dæi, nimirum antequam veniat super vos vehementer ira Dei*: illa enim erit implacabilis, nec dabit locum obsecrationi aut penitentiae.

Vers. 3. 3. QUERITE DOMINUM, OMNES MANSUETI TERRE, — *g. d.* Omnes quidem, sed vos maxime qui estis humiles et mansueti, obsecrando querite Deum, eumque assiduè gemitibus fatigate, si forte eum toti populo indignantem lenire et placare possitis. Ubi nota nullos posse lenire iram Dei, eamque toti genti propitiare, nisi humiles et mansuetos, qualis fuit Moses Num. XII, 3, et *Ezod.* XXXII, 32.

QUI JUDICIUM EJUS ESTIS OPERATI. — «Judicium,» id est id quod æquum et justum est, puta id quod lex sancit et præcipit. Sic *Psal.* CXVIII, sæpe lex Dei vocatur «judicium.» Ita S. Hieronymus, unde explicans subdit:

QUERITE JUSTUM (hebraice *צדק* *tsedee*, id est *justitiam*), QUERITE MANSUETUM, — hebraice *ענוה* *anava*, id est *mansuetudinem*; Pagninus, *humilitatem*; alii, *paupertatem*, *g. d.* Estote justi et mansueti, facite opera justa, idque mansuete, conversatio vestra sit justa, æque ac mitis, modesta, et in omnibus actibus, motibus et moribus composita. Hanc enim morum compositionem facit humilitas et mansuetudo. Ita Theodoretus.

Aliter S. Hieronymus, Remigius, Albertus et Hugo, qui per justitiam et mansuetudinem accipiunt Deum, qui est ipsa increata et immensa justitia et mansuetudo, *g. d.* Querite Deum operando judicium, id est opera justa: ipse enim justissimus est æque ac mansuetissimus. Quocirca, qui justissimus, respiciet opera justa: quia mansuetissimus, penitentes in gratiam clementer recipiet. Hæc ergo duo vos abscondent et protegent ab ejus ira et furore.

Vers. 4. 4. QUA GAZA DESTRUCTA ERIT. — *Dat causam cur furorem Dei expavescere debeant, ideoque studere, ut per opera penitentiae et justitiae eum a se avertant; quia scilicet tantus erit furor Dei, tantum robur et impetus Chaldaeorum, militum ejus, ut ipsi venientes in Judeam, etiam vicinos Philistinios, qui sæpe Judeis sunt dominati, sint vastaturi, g. d.* Multo ergo magis vos, o Judei, Chaldaeos formidare debetis: vestrum enim ipsi proprie, ita destinante Deo, sunt flagellum; vos enim ita iratus est Deus, ut non tantum vos, sed et propter vos, vicinas gentes sit vastaturus. Vos enim, quia fideles Deum cognoscentes, imo Deo quasi consecrati, magis eum offendistis odolendo idola, etc., quam gentes infideles quæ Deum non cognoverunt. Cum ego illas puniturus sim, multo magis vos puniam et vastabo. Aliter hæc precedentibus connectit a Castro, quasi dent causam cur dixerit: «Si quomodo abscondamini in die furoris Domini,» *g. d.* Vos liberabimini ex illa communi clade et captivitate Babylonica

(quia inde redibitis) e qua nulla alia gens se poterit liberare, quia Gaza funditus destructur. Aut, *g. d.* Dominum precibus et actionibus justis propitiare: forte vos proteget aliqua ratione sibi nota, quam nos ignoramus: fugere enim ad vicinas gentes non licebit, quia Gaza destructur.

Nota: Quinque erant satrapia Philistinorum, quarum metropoles totidem erant hæ, Gaza, Accaron, Azotus, Ascalon, Geth (1): in quibus nominibus elegans est paronomasia in Hebræo. Ait enim *עוזה עוזה* *azza azuba*, Gaza erit derelicta, aut, ut latine eam imitemur, Gaza erit vasta, vel vastata: forte etiam alludit ad nomen persicum *gaza*, quod opes significat, *g. d.* Gaza olim habuit gazam, eamque recondidit: ut nunc ea privabitur, eritque derelicta: imo putant aliqui Gazam nuncupatam a gaza persica, ob opulentiam urbis. Verum Gaza hoc nomen habuit tempore Davidis, ante regnum Persarum. Quocirca verum etymon Gaza est hebræum. Hebraice enim vocatur *עוזה* *azza*, id est fortis: erat enim situs et arte insigniter munita. Pro *Azza* enim Septuaginta dixerunt *Gaza*, quia litteram hebræam *ain* sæpe vertunt in *G*, ut pro *Amora* vertunt *Gomorra*, pro *omor* vertunt *gomor*.

AZOTUM IN MERIDIE EFFICIENT. — *g. d.* Chaldaei Azotios non clam et furtim, sed palam clara luce, collata acie expugnabunt. Ita S. Hieronymus, Remigius, Albertus et Hugo.

ACCARON ERADICABITUR. — Hebraice est paronomasia *עקרין עקרין* *Accaron* *tecker*, *g. d.* Accaron, quæ hebraice ab eradicando dicitur, estque idem quod eradicatio, a Chaldaeis eradicabitur, id est funditus everteletur.

Moraliter Lyranus: Per *Philistaam*, inquit, *qua potione cadens interpretatur, ebrietas bene significatur, ad quam sequitur destructio fortitudinis corporalis. Prov. XXII, 29: «Cui vae? cuius patri vae? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffragio oculorum? nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis?» et hoc significatur per destructionem Gaze, quæ fortitudo interpretatur. Secundo, ad ebrietatem sequitur hebetatio discretionis, quæ significatur cum subditur: «Et Ascalon in desertum;» nam *Ascalon* interpretatur *ponderatio*; actus autem hu-*

(1) Cum quinque fuerint Philistinorum urbes primarie, oritur questio, inquit Rosenmüller, quæ de causa Zephanias nam earum, *Gath*, suo in recessu omiserit. Quam satis probabiliter a Cellis sibi reperisse videtur in eo, quod *Gath* hæc ætate Philistinis crepta, sub Judeorum ditone laterit. Hanc enim civitatem David olim in servitutem redegerat, I *Chron.* XVII, 1, Joramo regnante Philistæi periculum recuperande, ut videtur, civitatis fecerunt, II *Chron.* XXI, 16, sed isdem ab Usia, II *Chron.* XXVI, 6, et Hiskia, II *Reg.* XXVI, 8, devictis, *Gath* sub Judeorum imperio remansit. Quod utique colligere possumus ex prophetis Amoso, I, 6 et seqq.; Zacharia, IX, 5 et seqq.; Jeremia, XXV, 20, quatuor item Philistinorum civitates recensentibus.

(Rosenmüller.)

mani debent discretionis judicio ponderari. Tertio, per ebrietatem destruitur amicitia charitatis. III *Esdræ* III, 22: «Et non meminerunt, cum hiberunt, amicitiam, nec fraternitatem: sed non multum post sumunt gladios;» et hoc significatur per destructionem Azoti, cum dicitur: «Azotum in meridie ejiciam;» nam communiter circa meridiem incurrunt homines ebrietatem. Quarto, per ebrietatem consumitur substantia corporalis. *Eccl.* XIX, 1: «Operarius ebriosus non locupletabitur;» et hoc significatur cum dicitur: «Et Accaron eradicabitur.» Accaron enim *pascua gregis* interpretatur, et convenit substantiæ temporali, per quam omnia ad victum pertinentia habentur.

«Audi vi opprobrium Moab,» etc. His describitur destructio quatuor gentium. Primi sunt Moabites, qui interpretantur *ex patre*; ideo significant blasphemos, quibus dicitur *Joan.* VIII, 44: «Vos ex patre diaboli estis.» Secundi sunt Ammonitæ, qui interpretantur *populi dolorum*; ideo significant invidios, qui dolent de bonis aliorum. Tertii sunt Ethiopes, qui *tenebrosi* interpretantur, et ideo significant hereticos, qui tenebris errorum obfuscantur. Quarti sunt Assyrii, qui interpretantur *facturae vigilantes*; ideo significant latrones, qui de nocte vigilant ad malefaciendum. Isti vero quatuor hominum modi sunt per divinum iudicium, nisi penitent, æternaliter condemnandi. Hucusque Lyranus.

Vers. 5. 5. FUNICULUM MARIS, — id est partem vel oram maritimam. Est metonymia: quia enim olim funiculis agros et prædia dimetiabantur et dividebant, hinc funiculus significat partem possessionis, sive sortem hereditariam quæ cuique partito obtingit, ut *Psal.* XV, 6: «Funes ceciderunt mihi in præclaris,» hoc est, ut explicans subdit: «Etenim hereditas mea præclara est mihi.» Sensus est, *g. d.* Væ vobis Cerethim, qui habitatis circa oram maritimam maris Mediterranei! nam perdet et vastabit vos Nabuchodonosor.

GENS PERDITORUM. — Hebraice, *gens Cerethim*. Jam vox *Cerethim* dupliciter accipi potest. Primo, ut nomen proprium generis. Ita accipiunt Hebræi, Clarius, Vatablus, Arias, Pagninus et Septuaginta, qui vertunt, *cerethim*, *gens Cerethim* ergo idem sunt quod *Cretes* et *Cretenses*.

Secundo, ut appellativum. Unde Aquila, Quinta Editio et Theodotion vertunt, *gens perditionis*. Noster, *gens perditorum*; Tigurina, *gens vastatrix*. *Cerethim* enim deducitur a *כרת* *carat*, quod significat *excindere, occidere, perdere*; inde derivatur *Cerethim, g. d.* Perditores, excisores, interfectores, qui omnes et omnia perdunt, occidunt, devastant: erant enim *Cerethim* gens fera et bellicosa. Ad hoc etymon alludit Sophonias, *g. d.* O *Cerethim*, eratis olim *Cerethim*, id est perditores et vastatores; jam eritis *כרותים* *ceruthim*, id est excisi et vastati: olim perdebatis alios, jam vos ipsi perdemini; occidit enim vos et excidit Chaldaei. Unde Symmachus verit,

gens exterminatum; Arias, *gens interficienda*, quia excidio Chaldaeorum destinata.

Queres, quanam fuit gens *Cerethim*? Primo, *Cerethim* qui? S. Hieronymus, Ribera et Clarius censent Philistinios omnes vocari *Cerethim*, id est excisores, quia erant sævi et bellipotentes; unde continua bella gesserunt cum Judeis, eisque sæpe dominati sunt, ut patet ex *libris Judicum et Regum*. Sophonias enim videtur mox hosce *Cerethim* vocare *Chanaan* et *Philistinum*.

Verum dico non omnes Philistinios, sed certam eorum regionem sitam ad meridiem, vocari *Cerethim*. Ita Abulensis in lib. I *Reg.* cap. XXX, Quest. X, Vatablus, Emmannuel, Mariana, Arias, a Castro hic, et Prado *Ezech.* XXV, sub finem, id ita esse, patet I *Reg.* XXX, 14: «Eripiamus, ait, ad australem plagam *Cerethi*, et contra Judam, et ad meridiem *Caleb*,» quod ver. 16 explicans ait: «Quæ operant de terra Philistinum et de terra Juda.» *Cerethim* ergo erant pars terræ Philistinum meridionalis. Secundo, quia ex hac gente collectæ sunt duæ legiones Davidis prætorianæ et fortissimæ, et, ut Josephus lib. VII *Antiq.* cap. XI, ait, corporis regii custodes, qui circa anlam versantur (quales jam apud reges sunt Helvetii). Hæ enim dicte sunt *Cerethi*, quasi interfectores; et *Phelathi*, quasi liberatores, a robore et virtute bellica: quia regem ejusque assecutas ab omni periculo hostium liberabant, hostesque ejus interficiebant. Unde ad nomen, æque ac ad ministerium *Cerethi* et *Phelathi* alludere milites *cebratos* et *pellatos*, de quibus Livius III *Deed.* lib. I, suspicatur Pineda lib. II *De Rebus Salom.* cap. V, numer. 3, atque a *כרת* *patat*, id est liberavit, deduci nomen *pella*, quia protegitur et liberatur ab hostili ictu. Chaldaeus verit, *sagittarios et fundibularios*, licet ea non sit vocum etymologia, sed numeris eorum et officii notatio. Audi Scripturam, II *Reg.* cap. XV, 18, fugiente Davide Absalonem: «Universi servi ejus ambulabant juxta eum, et legiones *Cerethi* et *Phelathi*;» et I *Paral.* cap. XVII, 17: «Banaias filius Joiahe super legiones *Cerethi* et *Phelathi*,» R. Kimchi putat hosce milites Davidis fuisse Israelitas; unde Pagninus in *Interpret. Nomin. propriorum Hebr.*, censet *Cerethim* dictos quasi accolas Carith torrentis in tribu Ephraim, ubi Elias pastus fuit a corvis, III *Reg.* cap. XVII, 3. Verum exteros potius, puta Philisteos fuisse, indicat Sophonias, et Ezechiel cap. XXV, 16, ubi eos vocat Palestinos. Videtur enim David, cum profugit a Saule ad Philisteos, puta ad Achis regem Geth, inde eos secum adduxisse. Rediens enim ex Geth urbe Philistæa, adduxit secum sexcentos viros, et *Cerethi* et *Phelathi*, quos deinde et fortissimos et fidissimos corporis custodes habuit.

Porro noster Prado loco citato opinatur ab hisce *Cerethim*, puta ex Philistæa maritima, nimirum a Phœnicibus hisce *Cerethis*, vel *Cretis*, habitatum et nominatum esse *Cretam* insulam.

Cerethim
sunt
Cretenses.

Creta enim videtur colonia Phœnicum, qui navibus valebant, ideoque vicinas insulas navigando inustrantes, eo deducebant colonias : unde et in Creta portus erat cui nomen Phœnix, dicitur xxvii, 12. Hinc et Creta dicta est quasi Creta, ab incolis Curetibus, puta Cerethim. Alii, ut Theodoretus, ex adverso opinantur Cretenses insulas coloniam deduxisse in Phœniciam et Philisteam, ideoque hosce Cerethim ortos esse a Cretensibus. Unde Septuaginta vertunt, *ἐκ τῆς Κρήτης*, id est *advēna Cretensium*, qui scilicet ex Creta in Philisteam advenerant : nimirum Septuaginta, inquit S. Hieronymus, « pro *קְרֵת*, id est gens, legērunt *קְרֵת*, id est advēna » (scilicet græcum *ἐκ τῆς Κρήτης* non tantum advēnas, sed et accolas, vel incolas quoslibet significet, ut sit idem quod hebræum *קְרֵת*). Vide dicta *Ezech.* xvi, 16. Hinc et Cretenses in re nautica excelluerunt, ait Strabo. Unde proverbium ironicum : « Cretensis mare nescit, » de eo qui id se seire dissimulat, quod callet optime. Creta enim, licet sit insula, videtur tamen primitus inhabitata, ob soli bonitatem. Nullum enim in Creta animal noxium est, optimum vini, quod vulgo Malvasia dicitur, est fertilissima. Unde Virgilius *Æneid.* III :

Creta Jovis magni medio fuit insula ponto,
Nons ideas ubi, et gentis canabula nostræ,
Centum urbes habitat magnas, uberrima regna.

Hinc et Jupiter filii Cretensis, ibique regnavit. Insuper Cretenses olim bellicosos fuisse, æque ac Cerethim, patet tum ex historiis, tum ex veteri epitheto : « Pugnares » enim « Cressæ » vocantur canes Cretenses, de quibus Seneca in *Hippol.* :

Tenant acres iora molossos,
Et pugnares tendant Cressæ
Fortis tria vincula collo.

Denique Strabo, lib. X, celebrat Cretensium virtutem bellicam, et in alias regiones transmigrations.

VERBUM DOMINI SUPER VOS CHANANAI (O Chananei, qui estis) TERRA PHILISTINORUM, — *q. d.* Verbum Domini contra Philistinos, qui sunt Chananaei : Philistæa enim erat pars terre Chanaan, *Josue* xiii, 3. Significat non solos Cerethim, sed omnes omnino Philistinos vastandos.

Vers. 6.

ET ERIT FUNICULUS MARIS REQUIES PASTORUM, ET CAULIS PECORUM, — *q. d.* Ita a Chaldeis vastabuntur Cerethim omnesque Philistini, qui incolunt oram maritimam, ut terra eorum desolanda sit et vertenda in pabula et stabula pecorum (1). Septuaginta

(1) In *כַּרְתָּ* *kerot* vocis (vulg. *caula*), frustra laborant etymologi et interpretes, juxta Maurer. Ackermann post Rosenmuller : Et erit tractus iste maritimus caulis effusionis pastorum, id est caula a pastoribus effusa in cryptis subterraneis ad vitandum solis æstum. Alii *כַּרְתָּ* *neot* (vulg. *pastorum*) dictum accipere significatione *pecorum*, inter quos est et a Coelani, qui loco citato,

rumsum de Creta hæc accipiunt : *Et erit, inquit, Creta pascua gregis, et ovile pecorum*, quod mystice exponens S. Hieronymus : « Cretenses, aui, semper mendaces, male bestie, ventres pigri, ad Titum 1 : Qui fluctuant et circumferuntur omni vento doctrinae, in deceptione hominum, in versuta erroris : isti cum debuerint in terra confessionis, id est in terra habitare Judeæ, voluerunt magis advēna esse Cretensium, qui diversis maris fluctibus hinc inde tunduntur, et sonant ere Corybantino, et sunt juxta Apostolum quasi symbolum tintiens. Et quia advēna sunt Cretensium, ideo sermo Dei, hoc est comminatio, fit ad illos. Et dicuntur terra Chanaan semper in fluctu, semper in motu ; et terra Allophylorum (Philistinorum) ; alieni enim a Deo in funiculo maris et in Creta regione versantur. Filii itaque ad eos sermo Dei, vel in fine mundi, vel quotidie per ecclesiasticos viros, etc., ut ejiciantur de Creta, et perdantur de pristinis habitationibus suis ; et illa regio, que prius gregem perditum continebat, incipiat esse ovile pecorum Christi ; et Judas, id est vera confessio, habitet in funiculis maris, *q. d.* Cretenses, id est infideles, erronei et heretici, qui prius in Creta et in mendacio pascebantur, » sicut ovile Christi, ibique ejus veritate et sanctitate pascentur.

7. ET ERIT FUNICULUS EIUS (maris, puta sors et terra Philistinorum erit illius), QUI REMANSERIT DE DOMO JUDÆ, — *q. d.* Judæi reliqui ex captivitate Babylonica redeuntes possidebunt Philisteam a Chaldeis vastatam, ibique quasi in deserto pascent pecora sua. Factum id sub Machabæis, Simone et Jonathâ, qui ceperunt Gazam et Ascalonem, ac Philistæas subegerunt, uti ex Theodoro et aliis dixi in *Abdia*, sub finem.

Allegorice, Apostoli o Jerusalem et Juda prodeuntes Philisteam converterunt, camque fecerunt caulam et ovile Christi. Ita Philippus diaconus evangelizando perambulavit Gazam et Azotum, *Actor.* viii ; unde subdit : « Ibi pascentur in domibus Ascalonis, » id est, « ubi prius diaboli et interfectorum manabat cruor. Ascalon enim interpretatur ignis homicida, » inquit S. Hieronymus.

pag. 88, scribit : « Præstat omnino *כַּרְתָּ* *neot* accipere significatione *pecorum*. Constat tali regionis habitate in pascua mutanda descriptione, summam a vatibus depingi desolationem. » Idem a Coelani, et Gesenius, Winerus, de Wette, Hesselbergus, *herot*, plurale constructum *כַּרְתָּ* *kerot*, nominis esse jubent, quod hic significet *cisternas*, puteum a pastoribus effossum ad excipiendam aquam pluvialem, coll. *Gen.* xxvi, 25, ubi de tali effodiendo puteo dicitur *כַּרְתָּ* *kerot*. Quævis cisterna cum aliis dicitur *כַּרְתָּ*, vatem *כַּרְתָּ* *kerot* voce uti putant, ut alludat ad *heretum*, vers. 8, efficitque paronomasiam. Sic igitur illi : Eritque tractus maritimus arva *cisternarum* pastorum, id est arva plena cisternis pastoribus.

Maurer artificiosiorum et minus commodam hanc interpretationem censet. Miror admodum, inquit, verum latuisse interpretes, noluisse eos venire ad epulas comiter invitatas a loco II *Reg.* vi, 23. Structura veriorum ea est, quam dixi Hitzigius ; *kerot* vero est plurale constructum *Kere* nominis, quod hoc loco idem prorsus significat, quod II *Reg.* i, 4, id est *epulas*. Epulas pastorum, id est gregum quos pascent pastores, epulas eleganter et simul effliciens paronomasiam, vates dicit depascendos a gregibus tractus illius agros.

nus evangelizando perambulavit Gazam et Azotum, *Actor.* viii ; unde subdit : « Ibi pascentur in domibus Ascalonis, » id est, « ubi prius diaboli et interfectorum manabat cruor. Ascalon enim interpretatur ignis homicida, » inquit S. Hieronymus.

QUIA VISITABIT EOS (scilicet Judeos qui remanserint in Babylone) DOMINUS DEUS EORUM, ET AVERTET CAPTIVITATEM EORUM, — quia captivos per Cyrum remittet in Judæam.

8. AUDIVI OPPROBRIUM MOAB (cujus metropolis est Areopolis, id est civitas Martis), ET BLASPHEMIAS FIGURORUM AMMON, — quorum metropolis est Philadelphia, ait S. Hieronymus, *q. d.* Audivi probra et convicia, quæ in vos, o Judæi, jaecerunt Moabite et Ammonite. Insultarunt enim vobis dum Jerusalem caperetur a Chaldeis, ideo ipsos per eosdem Chaldeos puniam, et pari modo evertam. Ita Chaldeus, Albertus, Lyranus, Ariaset Valabius. Ubi nota : Pro *blasphemias* hebraice est *לְרִיבֵיכֶם* *liddiphim*, id est sannas, probra, convicia, quæ vulgus vocat blasphemias, id est maledicta. S. Hieronymus tamen et Theodoretus proprie accipiunt blasphemias, quas scilicet Ammonite jaebant in Deum, dicentes : Ecce Deus Judæorum invalidus est, nec potest eos tueri a vi Chaldeorum. Simili modo Rabsaces blasphemavit Deum, *Isaia* xxxvii, 10.

ET MAGNIFICATI SUNT (hebraice *גִּדְלוּ* *gadditu*, id est *magnificaverunt*, active, scilicet tum animos, tum os et linguam) SUPER TERMINOS EORUM, — arroganter scilicet et superbe irridendo Judeos, ac jactando quod terram et terminos eorum a Chaldeis vastatos essent invasuri et occupaturi, uti explicat Ezechiel cap. xxxv, 12, et Abdias vers. 12. Ita S. Hieronymus, *magnificaverunt*, scilicet eos, *super terminos suos*, *q. d.* Ammonite magnifica et superba locuti sunt contra populum meum, dum ipse abductus in Babylonem transivit per fines eorum. Ita Vatablus.

9. PROPTEREA VIVO EGO, DICIT DOMINUS EXERCITUM DEUS ISRAEL (puta tutor et vindex Israelis, qui injurias et probra eis ab Ammonitis et Moabitibus irrogata puniam et ulciscar), QUIA MOAB UT SODOMA ERIT, ET FILII AMMON QUASI GOMORRHA, — nimirum funditus excidentur, perinde ac si igne de celo siderarentur, uti siderate sunt Sodoma et Gomorra, quibus vicina est regio Moab et Ammon. Simili enim modo ipse vindicta cælesti a Deo per Chaldeos afflabuntur et consumentur. Dico simili, non eodem : nam Deus non pluit ignem et sulphur super Moab, ut pluit super Sodamam.

(Quocirca erunt) SICCITAS SPINARUM, — hoc est, ita desolabuntur, ut nil in eis sit reperire nisi siccas spinas. Pro *siccitas* hebraice est *מִמְסַק* *mimsac*, quod R. Salomon vertit, *crepitiatio* ; Chaldeus, *derelictio*, alii, *exitus*. Proprie *mimsac* est *excursio*, id est propagatio spinarum. Radix enim

קַשׁ *sakas* significat excurrere : spina enim spinam erit, uti fraga frugum, itaque se propagat, ut brevi per totum campum excurrat, eumque occupet. Septuaginta pro *מִמְסַק* *mimsac* legerunt *דַּמְסַק* *dammesse*, id est *Damascus*. Unde vertunt : *Damascus derelicta erit*, quasi hic sit propheta contra Damascum.

ET ACERVI SALIS, — *q. d.* Terra Moab et Ammon ex inundatione maris Mortui (quod mare salis in Scriptura vocatur) vicini, salsuginosa erit, et consequenter sterilis ; Moab enim vicina erat mari Mortuo, Ammon vero mari Galilææ. Pro *acervi* hebraice est *מִכְרֵר* *micrêr*, quod Chaldaus, Pagninus et Vatablus vertunt, *fossam vel fodinam salis*. Sal enim aliud est marinum, quod ex aqua maris decocta coalescit ; aliud terrestre, quod ex terra instar bituminis effoditur, ut fit Salisburgi, quod ex sale fossili dives est, ex eoque nomen accepit. Hic verum est illud *Psal.* cvi, 34 : « Posuit terram fructiferam in salsuginem, a malitia inhabitantium in ea. » Idque « in æternum, » vel proprie et absolute, uti hic censent S. Hieronymus et Theodoretus ; vel improprie et accommode, scilicet « in æternum, » id est ad longum tempus. Nam postea habitata et culta fuit Moabitis, æque ac Ammonitis. Arabibus Antiochenus vertit : *Erunt sicut Gomorra, quia jam corrupta est fortitudo (gloria) eorum ; et perierunt dantes consilium eis, et erit corruptio in seculum* ; Arabicus Alexandrinus : *Gomorra et Damascus peribunt sicut palæa manipulorum, et erit perditio eorum in æternum* ; Syrus : *Corrupta (depravata, adulterata) est planta (plantatio) earum, et perit maluchaen, id est pubis aspersio earum*, hoc est nitor, decore et ornatus earum. Hic enim pulvis est cinis ejusdam herbe, quam Arabes in solitudine colligunt et comburunt, ac in vicinis civitatibus ingenti copia dividendum. Hic cinis cinis est quasi sapo, quo sericum imbutur, ut bene coloribus lingatur : eodem utuntur femine ad purgationem multarum rerum, quin et sui ipsarum ; eo enim se lavant, ut nitide et decore appareant. *Secundo*, syrum *maluch* idem est quod hebraicum *metach*, id est sal. Unde vertas, *perit earum sal*, quia scilicet salæ aspersa est terra earum, itaque sterilis et arida effecta est ; quare tam sal, quam terra salæ aspersa perit. Et sic consentit cum nostro qui vertit : « Moab erit acervi salis, » etc. *Tertio*, sal quia omnibus cibis miscetur, hinc significat communionem et communicationem, ut notat Andreas Masius in *Lexico Syro-Chald. Biblicor. Reg.* pag. 119. Unde vertas : *Nulla erit in Moab communicatio et hominum frequentia, quia in ea vastata erit solitudo*. Omnes he versiones eodem recidunt ; significant enim magnam vastatam et desolationem. Moraliter, vide hic vanitatem omnis magnitudinis et magnificentie. Cygnea nuper, sed aurea fuit vox Philippi III Hispaniæ regis in morte : « Nihil juvat regem esse, nisi ut in morte cruciet fuisse. » Audite, principes ; audite, prelati : idem

aeque ac symbolum. Audi Alciatum in emblemate gulae, eam ita pingentem :

Gargulione gruis tumida vir pingitur alvo,
Qui larum, aut manibus gessit onocrotalum.

Septuaginta hic vertunt, *chamealeontem*; sed *Levitic. xi, 18*, et *Psal. cii, 7*, vertunt, *pelleanum*; quia, ut ibi annotat S. Hieronymus, onocrotalus dicitur quoque pelleanus, forte a pelle eana quam habet : est enim instar cygni, qui totus est candidus, et quasi canus. Ita et Oppianus in *Iscythiis*, onocrotalum vocat pelleanum, et Gesnerus in *Onocrotalo*, recenset speciem onocrotali pelleano congenerem. Porro hoc animal, uti et ericius, quia solitudinis avidum, hinc summam designat desolationem, q. d. Ninive ita a Chaldaeis evertetur et desolabitur, ut amplius in ea non habitent homines, sed onocrotali et ericii, aliaque lucifuga et solivaga animalia.

ERICIUS. — Hebraice קקרי *kipod*, quod ex litterarum affinitate *cypselos* esse censet Forerius in *Isaia xxxiv, 11*, quae sunt aves instar hirundinum, rapidissime volantes super paludes, et vocantur apodes, eo quod breves habeant pedes. Rabini vertunt, *testudinem*, quam Ilii vocant *tartarocam*; Tigurina vertit, *castorem*, qui et fiber dicitur, animal amphibium homini inimicum, aequae ac crocodilus, de quo Plinius lib. xxxii, cap. iii. Verum Septuaginta, S. Hieronymus, Pagninus, Vatablus et alii constanter hic et *Isaia xxxiv, 11*, vertunt, *ericium*. Porro ericius, sive herix, vel hericinus, est heriacinus, qui graece *ἰρίκις*, a vulgo porcellus hortensis nuncupatur, animal spinis horridum, quas ad libitum, vel remittit, vel exerit, dum in globum se colligit. Furunculus est pomorum, quae spinis suis infingens, iis se onerat, et in antrum suum asportat, in quo tota hieme se condit. Unde symbolum est furis et raptoris, qui manus furaces cum solum se videt, exerrat, et clepit quidquid potest; sed cum videri se conspiciit, eas contrahit et occultat. Audi Plinium lib. viii, cap. xxxvii : « Praeparant hiemi et herinaecae cibos, ac volutati supra jacentia poma, affixa spinis, unum, non amplius, tepentes ore portant in cavas arbores. Iidem mutationem aquilonis in austrum, contentes se in cubile, praesagunt : ubi vero sensere venantem, contracto ore pedibusque, ac omni parte inferiore, quae raram et innocuam habent lanuginem, convolvuntur in formam pilae, ne quid comprehendi possit praeter aculeos. In desperatione vero urinam ex se reddunt tabificam, tergori suo spinisque noxiam, propter hoc se capi gnari. Quamobrem exanixati prorsus urina, venari ars est, et tunc praecipua de tergori alias corrupto, fragili, putribus spinis atque deciduis, citius vivat subtractus fuga : ob id non nisi novissima spe maleficio illo perfunditur. » Et mox : « Calide aquae aspersa resolvitur pila, apprehensusque pede altero e posterioribus suspendio ac fame necatur :

aliter non est occidere et tergori parcere. Haec cute expoluntur vestes. »

VOX CANTANTIS IN FENESTRA. — q. d. In fenestris jam desertis et desolatis considebant canentque aviculae. Ita Chaldaeus, Tigurina, Pagninus et Vatablus. Alii, q. d. I. 1. 2. musicis, et aviculis olim suaviter canentibus in fenestra, succedet horridus cantus corvi in superliminari. Verum passim interpretes vocem cantantis a corvo sejungunt et dispeccunt.

CORVUS IN SUPERLIMINARI. — scilicet crocabit tristi et ferali voce. Hebraice est חורב *choreb*, id est aestus, siccitas, desolatio, vastitas. Ita Chaldaeus, Tigurina, Arias, Vatablus. *Secundo*, Aquila vertit, *gladius* : quia pro *choreb*, alii punctis legit חרב *chereb* : gladius enim omnia desolat et devastat. *Tertio*, Septuaginta et S. Hieronymus vertunt, *corvus* : quia pro *choreb* per *chet*, legerunt חרב *goreb* per *ain*, aut certe censuerunt *chet* positum pro *ain*. Haec enim duae litterae, cum sint gutturales fortissime aspirationis, ideoque sono vicinissimae, hinc subinde permutantur, uti pariter *aleph* permutat cum *he*, quia utraque levis est aspirationis.

Moraliter, corvorum instar *cras, cras* canunt, qui emendationem vite, et sana consilia proerastiant, eaque de die in diem differunt, de quibus S. Augustinus serm. 16 *De verbis Domini* : « Ipsa, ait, res est quae multos occidit, cum dicunt *cras, cras*, et subito ostium claudunt. Remansit foris cum voce corvina, quia non habuit gemitum columbinum. *Cras, cras corvi vox est.* » Talibus et poeta Martialis intonat lib. I, *epigram. lvi* :

Cras vives? hodie jam vivere, Posthume, serum est.
Ille spulit, quisquis, Posthume, vixit heri.

Idem lib. I, *epigram. xvi* :

Non est, crede mihi, sapientis dicere, Vivam.
Sera nimis vita est crastina, vive hodie.

Et Seneca *epist. 12* : « Sic, ait, ordinandus est dies omnis, tanquam cogat agmen, et consummat atque expleat vitam, etc. In somnum ituri laeti hilaresque dicamus :

Vixi, et quem delectat cursum fortuna, peregi.

Crastinum si adjecerit Deus, laeti recipimus. Ille beatissimus est, et securus sui possessor, qui crastinum sine sollicitudine exspectat. Quisquis dixit : Vixi, quotidie ad lucrum surgit. » Feecit hoc S. Marcella, de qua S. Hieronymus *epist. 16 ad Principiam* ejus filiam : « Sic, ait, statem duxit et vixit, ut semper se crederet esse moriturum : sic induta est vestibus, ut meminisset sepulcri, offensus se hostiam rationabilem, vivam, placentem Deo. » Ita S. Antonius moriens suis praescripsit, ut quotidie mane cogitent, sibi quae persuadent illum diem fore vite ultimum : quocirca ita vivant, ac si eo die sint morturi, ut refert S. Athanasius in *ejus Vita. E Societate nostra*

P. Joannes Maldonatus editis libris celebris, quotidie quinque, mortis memoriam, imo praesentiam, sibi ob oculos ponebat, indagabatque numquid esset in conscientia, quod in hora mortis enim angere et affligere posset; et si quid reperiret, illico illud per confessionem, vel eo modo quo congruebat, tollebat, itaque stabat semper in proximo quietus et securus, paratus ad mortem. Beatus qui hoc sui de morte examen crebro secum obit. Beatus qui vivit tanquam semper moriturus, et studet tanquam semper victurus, ait S. Hieronymus.

Symbolice, feralis corvi vox, *Cras, cras*, strages et funera quae praesentit quibusque inhiat, non raro portendit futura, vel facta significat, uti hoc loco.

QUONIAM ATTENUABO ROBUR EJUS. — Legit Interpres חורבן *arza* *uzzo*, id est *emaciatio*, *attenuatio robur ejus*, puta Ninives. Jam legunt חורבן *arza* *era*, id est *cedrum ejus nudabo*, q. d. Destruam per Chaldaeos teeta et tabulata Ninives fabricata ex cedro : hinc concident ruentque ; quo fiet, ut corvi sedeant in superliminari ex ruina reliquo. Ita Chaldaeus, Arias, Pagninus, Vatablus et alii. Hebraum enim *arza* tam est nomen, idem *arza* *eres*, significans cedrum tignumque et tabulatum cedrinum, quam verbum, significans *attenuabo*, a radice חרר *rasa*, id est *attenuavit*. *Robur pro era*, id est *nudabo*, Septuaginta quoque legerunt חורבן *uzzo*, id est *robur ejus*, quod ipsi interpretantur *ἀσθενεια*, id est *altitudo*. Ita Romana, vel, ut Complutensia, *ἀσθενεια*, id est *coronatio*; vertunt enim, *quia cedrus altitudo*, vel *coronatio ejus*, q. d. Ninive cingebatur domibus cedrinis altissimis et fortissimis, quasi corona : at Chaldaei hanc ei coronam detraherent, et in terram dejicerent. Aliter nostrum cum hebreo textu moderno conciliat Arias, nimirum dicendo *robur esse quercum*, quae est species *arza*, id est *cedri*. Nam, ut ait Marinus in *Lexico* : « Cedrorum species multae sunt, חמטור *teassur*, id est *bucrus*; חורבן *tirza*, id est *ilex*; חורבן *alugimim*, *ברוס* *beros*, id est *fraxinus*; חורבן *oren*, id est *ornus*; חורבן *berothim*, id est *bucrus*. » Verum prius, quod dixi, verius est, ut patet conferenti verba nostri interpretis cum verbis Hebrais.

VER. 13. HEC EST CIVITAS GLORIOSA. — Est exclamatio ad pathos, q. d. Videte ad quas ruinas devenerit, in quas ruinas conruerit Ninive, civitas illa olim gloriosa et inclaryta. Sic ait Virgilius lib. II *Aenaid.*

Fuit Ilium, et ingens
Gloria Teucrorum.

Sic de eadem Ninive jam vastata admirans Nahu cap. ii, 18, exclamat : « Ubi est habitaculum leonum, et pasca catulorum leonum? » Sic de Jerusalem excoisa obstupescens Jeremias *Thren. ii, 13* : « Heceine, ait, est urbs perfecti decoris, gaudium universae terrae? »

Septuaginta vertunt : ἡσθη ἡ πόλις ἡ ἐπισημοτάτη. Haec

est civitas illa malis dedita, nequam et scelerata, aut magis proprie, *vilipendens*, ut vertit interpretes Romanus, et *subsannata*.

OMNIS QUI TRANSIT PER EAM, SIBILABIT. — vel subsannando, vel exsibilando Niniven ita humiliatam et vastatam, ut vult S. Hieronymus; vel potius admirando et obstupescendo tantam cladem et ruinam, ut censet Theodoretus. Simili modo « movebit manum, » id est complotet manus, vel eas extendet ostendens Ninives ruderam, sive irridendo et insultando, sive potius obstupescendo et commiserando.

Tropologie, multo magis gemens sibilet manusque complotat, quicumque videt Niniven, id est Ecclesiam aliquam, congregationem, vel animam olim speciosam virtutibus, quae erat templum Dei et sedes angelorum, per peccatum a demone vastari, fierique cubile leonum et draconum, praesertim cum eam celo destinatum videt damnari, et ruere in tartara. Gemens ergo et attonitus dicit cum *Isaia*, cap. *xiv, 11, 12* : « Quomodo cecidisti de caelo, Lucifer, qui mane oriebaris? Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum : subter te sternatur linea, et operimentum tuum erunt vermes. » Et cum Baruch cap. ii, 10. « Quid est, Israel, quod in terra inimicorum es? invelerasti in terra aliena, coinquatinas eam mortuis; deputatus es cum descenderis in infernum. » Causam subdit : « Dereliquisti fontem sapientiae. Nam, si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace sempiterna. Discas ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus : ut scias simul ubi sit longiturnitas vite et victus, ubi sit lumen oculorum et pax. Ubi sunt principes Gentium, et qui dominantur super bestias, quae sunt super terram? qui in avibus caeli ludunt, qui argentum thesaurizant, et aurum, in quo confidunt homines, et non est finis acquisitionis eorum? etc. Exterminati sunt et ad inferos descenderunt. » Similia lamenta pathetica habet Ezechiel de ruina regis Tyri, cap. *xxviii, 11*; de Pharaonis aeg. Egyptiorum, cap. *xxxix, 18* et seq.; et S. Joannes in damnatione Babylonis meretricis, *Apocal. cap. xviii, 10*.

S. Hieronymus haec omnia de Ninive vaticinia accipit de haeretis et hypoeritis : « Qui audiliares, ait, sunt legis, non factores, quod frustra speciosos se esse jactent, cum habitent in eis greges, vitorum scilicet multitudo, et bruta animalia corpori servientia, et omnes bestiae terreae, quae corda eorum comedunt; et chamealeontes, qui non habent unum colorem, sed diversis peccatis, nunc avaritia, nunc luxuria, nunc crudelitate, nunc libidine, nunc tristitia, nunc exultatione per momenta mutantur : et erici in praesepibus eorum, animal spinosum et plenum sentibus, et vulnerans quidquid configerit. Sed et bestiae cubabant in foraminibus, id est in cordibus eorum : et corvi, immunda aves, in portis eorum, vel in ore, vel in auribus, quod aut lo-

Tropologie, de commiserando peccatori.

quantur semper, aut audiant mala. Post quae inferitur, ideo Ecclesiam hunc passuram fore, vel esse perperam, quod in superbiam se elevaverit. » Et mox : « Ubi enim prius habitabat Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, et angeli ejus ministerii presidebant, tunc habitabunt bestiae, de quibus Propheta *Psalm.* lxxiii, complorat dicens : Ne tradas bestiis animam confitentem

tibi. » Et inferius : « Dicamus per animam de qua Christus recessit, et quam prius templum Dei fuerat, et esse desinit, transire serpentem, et sibilare in ea, et venena suae malitiae evomere, et non solum hoc facere, sed opera quoque sua, quae *reprobatae* manus vocantur, movere, » juxta illud *Proverb.* xviii, 21 : « Mors et vita in manibus linguae. »

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iyrans et Arias censent toto hoc cap. ad litteram agi de Christo et Christianis, puta accusari scelera Christianorum, quos Christus judicabit in die iudicii, cum impios damnabit, pios salvabit. Ex adverso alii totum hoc caput explicanti de Judaeorum criminibus, ob quae capti sunt captivitate Babylonica, de qua illorum ex ea liberatione, reditu et felicitate. Verum media incedendum est via : nimirum initio capitis agit de Judaeis, sed vers. 8, transit ad Christianos, quos Judaeis impiis Deus in Ecclesia et benedictione Abrahae surrogabit, sibi que adhaerescet. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Haymo, Vatablus et Dionysius.

Dico ergo, initio capitis accusat Hierosolymae scelera, ac praesertim rapinas principum, iudicium iniquitiam, prophetarum vesana oracula et mendacia promissa, sacerdotum impietatem : quodque ipsa cum vidisset gentes vicinas impias a Deo puniri et vastari, non tamen earum exemplo resipierit. Quapropter vers. 8, illi et Gentibus vindictam minatur, sed divinam, nimirum quod Deus per Christum destruet gentilitium aequae ac iudaismum, quodque gentes omnes, etiam barbaras et remotissimas, subjugabit Christo, easque ab idolis in Deum convertet, ut serviant ei humero uno, aequae ac Judaeis, qui illum recipient : quod maxime fiet in fine mundi, quando credentes ipsi salvabuntur, increduli vero ab ipso reprobabuntur, et igni aeterno addicentur (1).

1. Vae provocatrix, et redempta civitas, columba! 2. Non audivit vocem, et non suscepit disciplinam : in Domino non est confisa, ad Deum suum non appropinquavit. 3. Principes ejus in medio ejus quasi leones rugientes : iudices ejus lupi vespere, non relinquebant in mane. 4. Prophetae ejus vesani, viri infideles : sacerdotes ejus polluerunt sanctum, iniuste egerunt contra legem. 5. Dominus justus in medio ejus non faciet iniquitatem : mane, mane iudicium suum dabit in lucem, et non abscondetur : nescivit autem iniquis confusionem. 6. Duperdidis gentes, et dissipati sunt anguli earum : desertas feci vias eorum, dum non est qui transeat : desolatae sunt civitates eorum, non remanente viro, neque ullo habitatore. 7. Dixi : Attamen timebis me, suscipies disciplinam : et non peribit habitaculum ejus, propter omnia in quibus visitavi eam : verumtamen diluculo surgentes corruerunt omnes cogitationes suas. 8. Quapropter expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meae in futurum, quia iudicium meum ut congregem gentes, et colligam regna : et effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei : in igne enim zeli mei devorabitur omnis terra. 9. Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini,

(1) Succedit actio iudicialis contra Hierosolymitanorum contumaciam, quae nullis Dei adhortationibus nec minis a suis sceleribus destiterit.

PRIMO, accusat crimina grossantia, nominatim, primo, institutionem neglectam, et aversionem a Deo in populo, 1, 12; secundo, violentiam in principibus, et rapinam in iudicibus, 3; tertio, infidelitatem in prophetis, et irreligionis in sacerdotibus, 4.

SECUNDO, exaggerat contumaciam Iudaeorum non emendatam, primo, per manifestam Dei improbationem,

5; secundo, per luculentum vindictae de gentibus sumptae exemplum, 6; tertio, per longanimitatem Dei admonitionem et expectationem, 7.

QUARTO, promulgat sententiam decretariam poenae infliendae his verbis : quare cum moniti mores non emendaveritis, ego vos una cum reliquis populis afflicam poenis, 8.

PARS paraclitica : PRIMO, promittit Deus per Prophetam, primo, eandem fidei professionem, et obsequii erga Deum conjunctionem omnium futuram, 9; secundo, Ec-

et serviant ei humero uno. 10. Ultra flumina Aethiopiae, inde supplices mei, filii dispersorum meorum deferent munus mihi. 11. In die illa non confunderis super cunctis adinventionibus tuis, quibus pravavica es in me : quia tunc auferam de medio tui magniloquos superbiae tuae, et non adjicies exaltari amplius in monte sancto meo. 12. Et derelinquam in medio tui populum pauperem et egenum : et sperabunt in nomine Domini. 13. Reliquiae Israel non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, et non inveniatur in ore eorum lingua dolosa : quoniam ipsi pascentur, et aculebantur, et non erit qui exterreat. 14. Lauda, filia Sion : iubilata, Israel : laetare, et exulta in omni corde, filia Jerusalem. 15. Abstulit Dominus iudicium tuum, avertit inimicos tuos : rex Israel Dominus in medio tui, non timebis malum ultra. 16. In die illa dicitur Jerusalem : Noli timere : Sion, non dissolvantur manus tuae. 17. Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit : gaudebit super te in laetitia, silebit in dilectione sua, exultabit super te in laude. 18. Nugas, qui a lege recesserant, congregabo, quia ex te erant : ut non ultra habeas super eis opprobrium. 19. Ecce ego interficiam omnes, qui afflixerunt te in tempore illo : et salvabo claudicantem : et eam, quae ejecta fuerat, congregabo : et ponam eos in laudem et in nomen, in omni terra confusionis eorum. 20. In tempore illo, quo adducam vos, et in tempore, quo congregabo vos : dabo enim vos in nomen, et in laudem omnibus populis terrae, cum convertero captivitatem vestram coram oculis vestris, dicit Dominus.

Vers. 1.

1. VAE PROVOCATRIX! — Hebraice מוֹרָא מוֹרָא, id est amaricatrix, quae scilicet Deum maritum tuum adulterando amariacas, id est irritas et provocas ad bilem : haec enim amara est et fellis. Unde Chaldaeus verit : Quae multiplicat iram provocationem; Tigurina : Vae rebellanti! Radix enim מוֹרָא mara significat amaricare, amarum facere, offendere, rebellare. Unde Noemi : « Ne, inquit, vocetis me Noemi (id est pulchram), sed vocate me Mara (id est amaram), quia amaritudine valde replevit me Omnipotens, » Ruth i, 20. Pagninus et recentiores non verbotenus, sed rem et sensum reddunt, dum vertunt : Vae fucatae, vae polluta! Nam ideo erat amaricatrix Dei, quia foedata et polluta sceleribus.

Septuaginta vertunt : Vae illustris! alii : Vae monstrosa! Nam morea deducunt a radice מוֹרָא, id est vidit, q. d. Vae Hierosolymae, quae insignis et monstrosa est sceleribus, puta adulteriis, id est idololatriis, ideoque Deo sponso suo infida et rebellis, eum ad amaritudinem et iracundiam provocat! Alludit vox morea ad mon-

estras ex gentilibus et Judaeorum reliquiis congregandam, 10.

SECUNDO, exhibet beneficentia Ecclesiae praestanda, primo, per peccatorum remissionem, et vitiatorum, maxime superbiae et vanae iactantiae extirpationem, 11; secundo, per securitatem et impecantiam humilibus concedendam, 12, 13.

TERCIO, excitat fideles ad laetitiam et animi tranquillitatem, 14-16 : cujus mutationis cause assignantur, primo, sublati poenae, fugati hostes, et Dei protectio, 15; secundo, assistentia et complacentia Dei de sua Ecclesia, 17; tertio, exterminium hominum magnum et apostatarum, 18; quarto, caedes persecutorum, et reparatio lapsorum, 19; quinto, celebritas et gloria in totam terrarum orbem diffundenda, 20.

tem Moria, id est visionis, vel illustrem, qui erat Hierosolymis, de quo dixi *Genes.* xxi, 14, q. d. O Jerusalem tempore Abrahae et Isaac, mihi fidelium et obedientium usque ad mortem, fidei mons Moria, id est visionis caelestis : at nunc infidelis, per inobedientiam et apostasiam facta est morea, id est amara et amaricatrix.

ET REDEMPTA. — Ita vertunt quoque Chaldaeus et Septuaginta, גוֹאֵל gual enim significat redimere. Recentiores Rabbinii, et eos secuti Pagninus et Tigurina vertunt, inquinata, vel contaminata : utrumque enim significat gual : alludit enim ad גוֹל gual, id est volvere, revolvere : inde enim gual significat rem alio devolutam ad se revolvere, id est redimere : rursum, rem in sanguine menstruo, stercore, aliave re immunda volutare, volvere et revolvere, hoc est inquinare et contaminare, uti adultera Jerusalem se in sordibus idololatriae cum variis diis Gentium volutabat et inquinabat. Nostra versio uti magis propria, ita efflictor et nervosior est. Taxat enim Jerusalem, eamque arguit ingratitude, quod cum a Deo redempta esset ex Aegypto, et liberata a duro jugo et servitute Pharaonis tempore Moysi; aequae ac Philistinorum, Ammonitarum, Moabitum, et aliarumque gentium tempore Iudicum, Davidis et Salomonis, Deum tamen sua idololatria et peccatis saepe gravissime ad indignationem concitavit, et in dies concitat.

COLUMBA. — Ita Hebraeus יוֹנָה iona, vertunt quoque Septuaginta et S. Hieronymus in *Comment.* At Chaldaeus, Rabbinii, et eos secuti Pagninus, Tigurina et Vatablus vertunt, molestatrix, quae pauperes vexat, spoliat, opprimit, a radice יוֹנָה iona, id est laborare fecit, afflixit, oppressit. Apollonius Noster verit, columba : huic enim Israel